



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

7. An Religiosus, qui celebrat aliquas Missas ad intentionem alicujus amici, sciens dictum amicum stiptendum pro illis accipere, peccet contra paupertatem, & includatur in Bulla Clem. VIII. Et an ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

puro qui pensatis conditionibus Religiosi volentis donare, & eius cui fit munusculum, & pensata causa ob quam fit, & etiam utilitate, quæ ex dicto munusculo obuenire potest Religioso, vel Monasterio, & considerata etiam facultate ipsius Monasterij, poterit minorem, aut maiorem facultatem dare in quantitate, & qualitate munusculi. Ita Hieronymus Cenedo de paupertate religiosa, dub. 26. numer. 6. concl. 2. Sanchez in summ. tom. 2. lib. 7. cap. 19. n. 42. Azorius part. 1. lib. 12. c. 12. q. 4. & Suarez de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 15. numer. 13. cum Valero ubi supra num. 65.

RESOL. VI.

An si Religiosus sine licentia sui Prælati præbeat munusculum duorum aureorum, incidat in penas huius constitutionis? Ex p. 1. tr. 6. Ref. 5.

§. 1. **R**espondeo; peccatum quidem furti admittitur non autem incurere in penas huius Constitutionis. Et ita viæ vocis oraculo declarauit Clemens ipse VIII. Claudio Aquinauiæ, Generali Relig. Societ. IESV: & ego habui à Patribus dictæ Societatis transumptum epistolæ supradicti Generalis, transmissæ ad P. Petrum Gambacutum Panormitanum, sub die 2. martij, 1595. in qua declaratio supradicta Pontificis ponebatur. Et hoc etiam testantur multi DD. qui scripta sua typis mandarunt postea: hi sunt. Molfæus in summ. tom. 1. tract. 7. c. 10. n. 86. Filiucius tom. 2. tr. 3. c. 3. q. 9. num. 65. & nouissimè Homobonus de Bonis in exam. Eccl. part. 1. tract. 7. c. 30. q. 123. cum aliquibus, quos citato nomine citat Scottia in Bull. Pont. epitome 158. theor. 396. Et ratio declarationis Pontificis forsitan fuit: quia communiter summa duorum aureorum in iure dicitur summa modica, vt patet ex l. si oleum. 15. fin. in d. l. seq. vbi Gloss. ff. de dolo. cum Felino in cap. in ter fecisti, de homicid.

RESOL. VII.

An Religiosus, qui celebrat aliquas Missas ad intentionem alicuius amici, sciens dictum amicum stipendium pro illis accipere, peccet contra paupertatem, & includatur in Bulla Clem. VIII?
Et an stante dicta Bulla possit Religiosus de sola licentia Superioris donare ea, quæ acquisiuit ex elemosynis Missarum, quas sibi intra annum Conuentus, seu Religio concedit Ex part. 1. tr. 6. Ref. 9.

§. 1. **R**espondi negatiuè, ex autoritate P. Francisci de Soula in explic. huius Bullæ, §. 3. n. 74. in fin. vbi sic asserit: [No seria contra esta ley, dezir tantas Missas, por la intencion de vno, aunque entienda, se ha el de aprouechar de la pitança, porque en este caso, nada se da, que no sea meramente elpiritual, lo qual entiendo si no esta obligado à celebrar por su Conuento.] Sic ille:

2. Notandum est tamen, stante Bulla non posse Religiosum, de sola licentia sui Superioris, donare ea, quæ acquisiuit ex elemosynis Missarum, quas sibi intra annum Conuentus, siue Religio concedit: nam est dispar ratio inter hos duos casus: & ita docet Ioan. Valerius in differ. vtriusque fori, verb. muneris, n. 75. licet ipse sententiam negatiuam huius secundi casus vocet tantum probabiliorem. Ergo posset aliquis dicere affirmatiuè ex mente eiusdem Valerij esse probabilem. Sed de hoc ego dubito: tu cogita.

RESOL. VIII.

An Religiosus, qui non acceptat aliquod donum, sed rogat, vt detur amico, seu consanguineo, peccet contra paupertatem, & contra hanc Bullam?
Et an si Religiosus se habeat vt intercessor apud Ioannem, v. g. vt ipse Ioannes nomine suo det Petro aliquam rem, peccet contra votum paupertatis, & contra nostram Constitutionem? Ex part. 1. tr. 6. Ref. 8.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Hieronymus à Sorbo in compend. priuileg. in expos. huius Bullæ, fol. mibi 194. vbi sic asserit: (Prohibetur Religiosis donare quouis modo, siue directè, siue indirectè. Vnde, si quis, vel si qua diceret suis consanguineis, vt quod vellent sibi donare, donarent tali suo nomine, non posse fieri, cum sic esset donare indirectè.) Ita ille. Probatur hæc opinio: nam, si hoc non est dare indirectè, quid, quæto, per indirectam donationem debet intelligi? Deinde in l. 2. ff. de calum. ita habetur: (Non refert, an ipse pecuniam acceperit, an iusserit dari.)

2. Sed mihi, saluo temper meliore iudicio, contraria opinio probabilior videtur. Dico igitur, si Religiosus solum se habeat, vt intercessor apud Ioannem, v. g. vt ipse Ioannes nomine suo det Petro aliquam rem; non peccabit contra votum paupertatis, & contra nostram Constitutionem. Ita Penin. de Relig. tom. 1. c. 2. q. 2. §. 4. Fagundez de Præcep. tract. 2. lib. 8. c. 6. n. 18. Villalobos in summ. tom. 2. tr. 35. dub. 32. num. 6. Scottia in Bull. Pont. epit. 158. theor. 397. Layman in Theol. mor. lib. 4. tr. 5. c. 7. num. 16. Filiucius in quest. mor. tom. 2. tract. 34. c. 3. q. 8. n. 6. Bonacina de contr. disp. 3. q. 12. punct. 1. num. 6. Barthol. à S. Fausto in thes. Relig. lib. 8. q. 212. Sanchez in summ. 2. lib. 7. c. 19. n. 74. Galetti in margar. cas. conf. ver. Relig. num. 9. Naldus in summ. ver. Relig. num. 11. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 8. c. 15. num. 45. Rodriguez in exer. spir. p. 3. tr. 3. c. 15. Turrian. in 2. 2. tom. 1. disp. 85. dub. 3. Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 6. num. 7. Cenedo de pauper. relig. dub. 29. n. 4. Gratian. in suis discept. forens. tom. 2. c. 202. n. 17. & ante omnes Soula in exp. huius Bullæ, §. 3. n. 73.

3. Et ratio est clara, & manifesta: quia Religiosus tunc peccat contra paupertatem, quando disponit de aliqua re sua, vel Religionis, sine consensu, & facultate Superioris: sed in prædictis casibus hoc non accidit, vt constat ex proposita specie facti; nam solum petit Religiosus à se ulari, vt rem aliquam donet alteri, de qua re ipse Religiosus non acceptat, neque tacitè, neque expressè, vllum dominium, & potest ipse sæcularis semper, si velit, non dare: ergo, &c.

4. Deinde, Religiosus, seu Monialis, non potest donare: tamen ex hoc non sequitur, quod non possit petere ab alio potente donare, vt donet: potest enim prohiberi primum, & non secundum. Ergo, licet Religiosus non possit donare; tamen poterit ab aliquo sæculari potente donare, petere vt aliquid alicui donet. Sic Turrianus. Nec valet dicere, quod in nostro casu Religiosus dicitur donare indirectè: nam vt bene obseruant Sanchez, & Cenedo, ubi supra, tunc dicitur donatio indirecta, quando adest tacita acceptatio, quia & in donatione indirecta præsupponitur dominium; & quando etiam adest iussus, vt donans tradat alteri: quod neutrum est in nostro casu; quia Religiosus, neque tacitè acceptat dominium alicuius rei, & non iub. t. sed rogat, & se habet, vt diximus, tanquam intercessor: ergo, &c. Vel secundò dicendū cum